

QK. 294

v. Gersdorff

Zb
3316

22

X 204 5104

**Allocutio
INCLUTOSPON-
SORUM PARI
SACRA,**

**CONRADI SAMUELIS
SCHURTZFLEISCH.**

WITTENBERGÆ,

Imprimebat CHRISTIANUS SCHRÖDTERUS, Acad, Typ
ANNO M DC LXXXVI.

BIBLIOTHECA
POMERANICA

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK
HALLE
(SAALE)



Allocutio

INCELESTION
SOLIM PARI
SACRA

CONRADI SAMUELLIS
SCHURTZELIUS

KITTENBERG
Imprimis Christianus Schurzelsius Acad. Theol.
ANNO MDCCLXXII





R Umpe tandem silentium pietas,
& admitti desiderata officium
tuum. Intuere GERSDORFFIUM,
circumfuso splendore Sponsum, &
FRISIAM cernua excipe Augusto
habitu Sponsam, Virginem, in
quam omnium Virginum decora
confluxerunt. Excita adeo te ad
venerabile illudq; nuptiale limen,
& ede festos plausus, quodq; alii co-
ram, id suscipe ex longinquo mu-
nus. Paratur hodie sacrum, nec
humana ope, sed Dei immortalis
beneficio paratur. Adducitur GERS-
DORFFIO FRISIA Sponsa, pignus
A 2 arctis-

arctissimæ conjunctionis: adscitur
in tori partem, & castissimos uxo-
rios amplexus. Mirabitur posteri-
tas, coisse connubio Par, quorum
alteri nil carius Numen tribuere,
alterum nil carius accipere potuis-
set. GERSDORFFIO non visa alia,
quam eligeret FRISIÆ nemo præ-
ter GERSDORFFIUM in oculis erat.
Uterq; utriq; non amandi impetu,
qui ad excelsas mentes non perti-
net, sed iudicio placebant, sed vir-
tute conciliabantur. Sunt sane,
qui ament: sed qui non æquè
discernant GERSDORFFIUS, cum
amaret, exquisitissime, ut solet
aliàs, discernebat, & quanto plus
discer-

discerneret, tanto impensius ama-
bat, tanto enixius quærebat HEN-
RIETTAM CATHARI-
NAM. Lætatur auspicio CA-
ROLUS, inclutum Musis nostris
nomen, ac fulcrum certe maxi-
mum, & novum abs tali Genero
decus accrevisse suæ Genti gratu-
latur. HENRICUS ille in PRINCI-
PIS Senatu Princeps, & præsidium
nutantibus rebus, jungit Fratri il-
lustrissimo dextram, & afficitur
sensu jucundissimæ affinitatis. Cæ-
teri Proceres, excelsissimi, ut sua
cuiq; pietas est, divinis affatibus or-
nant, consecrant, complent hunc
diem. Penetratq; hoc gaudium ad
fasces

fasces, ad purpuram Augusti E-
LECTORIS. Qui non dico jam
compenfare (vult enim in poste-
rum debere huic stirpi) sed æsti-
mare gestit GERSDORFFIANAS curas,
animum pro Republica invictum,
labores pro Patria egregiè susce-
ptos, legationes denique splendi-
disimè obitas. Deum immorta-
lem! Quid putabo eminentius,
quid venerabor divinius, quàm
quod PRINCIPEM commove-
re loco, & trahere quasi, ac induce-
re vi quadam ad permutandas se-
riorum vices, in illa præsertim Urbe
Domina Saxonum, potest? Atqui
potest GERSDORFFIUS, sua virtute,
sua

sua conscientia securus H E R O S,
idemque auspiciousimo omine F R I
S I Æ necessitudini innixtus, Spon-
sus, si quisquam alius, coelesti con-
silio electus, & rarissimæ documen-
tum felicitatis, cui una hæc dies
offert, quod multorum annorum
destinationes non assequuntur.
Quin ergo justas audi voces, SPON-
SE, audi verissimas gratulationes.
Sistitur tibi ante aras Virgo, tradi-
tur juxta & accipitur in fidem, Vir-
go sine exemplo maxima, & inge-
nii gloria erecta ultra sexum, Virgo,
cujus inusitate dotes Te fecerunt
Sponsum, Virgo, cujus sanctissima
societas faciet maritum, Virgo,
cujus

257p

cujus castus illibatusq; amor faciet
fortunatissimum Patrem, Virgo
demum, cujus posteritas non obli-
viscetur posteritatis causa. Fuit,
quum optasti, inclute GERS-
DORFFI, hac stirpe propaga-
re stirpem tuam, quæ jam olim
ipsi sibi pretium, nunc tibi ea-
dem opera & firmamentum a vitæ
laudis, & seminarium excelsi gene-
ris esset. Maçte lætis initiis SPONSE,
fruere hujus expectatione voti, &
fruere, quod universi expetimus,
nullo fruendi fine. Auctus coele-
sti bono es FRISIAM habes, & unâ
habes munus supra mortalia omnia,
ac sociam vitæ, & sanctissimarum,
quas

quas possides, rerum. Quia nil seu
ad cultum tuum elegantius, seu ad
concordiam certius, seu ad gloriam
tuæ gentis illustrius comminisci,
nedum assequi potuisses. Quæ
tibi spondet, quicquid in humanis
sponderi optimum solet, non ma-
gis in domum, quam in animum,
& partem viscerum tuorum transi-
tura, ac sensum adeo mentemque
suam junctura pari atque indisso-
lubili nexu. Si quod post seria de-
licium, si post delicias seria desti-
nas, aut si quod temperamentum
præoptas ex utrisque, satis fuerit,
adsciscere HENRIETTAM CA-
THARINAM. Hæc curas diluet

B

ac

ac distingvet minimum, & multo
gravissimas solabitur occupatio-
nes: hæc leniet labores tuos ac le-
vabit: hæc non exponet modo
sed effundet quoque, quicquid us-
quam est carissimi affectus, prius
ab se recessura, quam ab desideriis
suis. Gaudent eo nomine Musæ
nostræ, alumnae patrocinii tui, ac
tutelæ sanctioris, & quasi sedibus
tuis excitæ, properant Dresdense
iter: reliquæ cis Albim Plisamque
commoratae, satis habent, publice
privatimque hic & illic exprimere
altos plausus. Haud erraverim, qui
forte credam, cineribus Avi piè
compositi insinuari lætitiâ hanc,
&

& Patris Majorumq; tuorum iina-
gines excitari prope fama hodie-
norum solennium, excitari gloria
nuptialis sacri. Nee verò secius
intra se concipiunt, Sponsa Illustris-
sima, manes conditorum tuæ stir-
pis, & carissimum habent hunc
diem. Rauraci, Germanorum ve-
tus portio, & augusti laboris mate-
ria ingens, numerant decora tuæ
Gentis, ac hodieque monstrant
vestigia, & ferme vindicant FRISIOS
suos, prorsusque invident nobis,
erepturi etiam, nisi Saxones inter-
cederemus & Mysi, imo nisi Prin-
ceps ipse Saxonum Mysorumque
arctissimo sibi junxisset amplexu, &
socie-

societate copulasset publicarum
curarum, Divus ille Henricus, ab
ultima Rauracorum origine inclu-
tus sanguis, & à tot retro seculis ne-
cessitudini Myforum innexus He-
ros, si demitteretur coelo, quid aliud
in te laudaret, quid cerneret aliud,
quàm vivam imaginem sui, quàm
vultum avi coelestem in nepte, &
ea quidem nepte, quæ plane con-
gruit in coelestissimam FRISIORUM
stirpem. Ad nos nostrasq̄ve Mu-
sas unum id pertinet omnium ma-
ximè, quòd tabulis doctissimarum
HEROIDUM adscripta es dudum, &
laude ea sustinuit hanc laudem,
quam vel Barthius Reinesiusq̄ve, si
super-

superessent nobis, oppido mirarentur. Alexiam Comnenam, Virginem Augustam imitata es: Hhrosvvitam, illustre olim Saxoniae sua ornamentum æqvasti: cæteras superasti omnes, aut certe dubiam fecisti palmam. Nil reliquum erat, nisi ut incomparabiles illas virtutes transferres in torum, & in liberos nepotesqve diffunderes ardua dotium, ac prorogares seriem unâ generis tui & famam, sociaresqve **GERSDORFFIO**, quod solus **GERSDORFFIUS** capiebat, quodqve tu, si retineres sola, retineres iniquè, nec impleres spem posterorum, qui abs te nasci, & surge-

surgere in certamen tuarum lau-
dum coelesti nutu auspicioqve de-
bent. QVOD UT LÆTISSIMO
COMPROBETUR EVENTU,
ET BENE TIBI AC SPONSO
TUO REIQVE PUBLICÆ FE-
LICITER VERTAT, VOTA
EGO ET PRECES ET ANI-
MUM CUM CÆTERIS CON-
JUNGO, IDEM AD OBSE-
QVIA TUÆ DOMUS, QUI
AD SUPPLICATIONES
DEVINCTISSIMUS
ADMIRATOR.



^{AD}
AMICUM,

inter festas gratulationes

Sponsum.

Witteberga XIII. Sept. A. clb lbc LXXII.

Poscis me carmen, ZIEGNERE, & id jure tuo
poscis, nec negarem, si tempus, quod inter alia
mihi abit, sic ferret in præsens, ut, quam vellem
quidem, pro merito navare tibi operam possem,
Sed quia id nunc à me non impetras, animo, quem
penitus cognitum habes perspectumq; acquiesces
facile, quòd me alioquin tui esse studiosissimum
scias, & quærere occasiones paratum, quibus con-
sequar hanc viam, & gratificandi, si usquam op-
portunè reperio, expeditiores rationes. Ac-
cipe vero jam exiguum hoc, & mansurum of-
ficiosæ pietatis monumentum, atque amicitiae
constantis in posterum testem serva, & læta-
re impensius hac nova sorte, & fruiere, quod
optaverim, constanter.

Quam Deo auctore sæpe optasti hactenus diem,
quæ & Sponsum te ostenderet nobis, & exacto anno
patrem doceret exemplo, auspiciousimè tandem il-
luxit, ac deliciarum, quas vel assequi possis, & vavis-
simarum, uxoriq; levamenti copiam fecit, & quan-
tum

26 3316 OK

tum dignitatis tibi, tantum gaudii Nuptæ Tuæ attulit,
tantumq; splendoris. Beneficium, haud scio, utrum
melius tibi fortuna tribuere, an Sponsæ tuæ majus
unquam conferre potuisset, cujus in neminem, nisi
in te amor, nec erga alium, quàm erga te, siue pro-
pensionis indicium, siue fidei significatio fuit: eo
ipso ut intelligeres planè, tuam solius societatem,
vinculumq; expeti, ac tibi uni adeò gloriam perinde
& fructum servari egregiæ hujus castitatis. Neuter fe-
fellistis alterum, sed pari amandi consilio parem amo-
ris constantiam demonstrastis, seu quod fato, quod
humana agere perhibent, coalesceretis ambo, seu
quod proviso, ut pietas credit, nexu coiretis. Appro-
bavit optata eventus, & verissima fecit vestra vota.
Nam ut tu Sponse implevisti CATHARINÆ REGINÆ
spem, & tu Sponsa dedisti ZIEGNERO nomen, ut
quem inter plures elegeras, ille solus inter omnes
placeret, maritus idem, & prosperorum adversorum-
que socius esset, ille demùm sanctissima lege obser-
varetur tibi. Quod ergo Junoni Lucinæq; felix pari-
ter atq; faustum sit, una hora vos & accipit Sponsos,
& conjuges complectitur, & parentes expectat, & in-
numerabilem una seriem liberorum nepotumque.
Quod ut rectè Vobis eveniat atque ex voto, & successu
minimè ambiguo consequi liceat utrisque, ipse ego
uno animo & voce cum ceteris, quotquot tibi &
thalami solennibus cupiunt bene, opto
juxta ac precor.



M

1017

QK. 294

v. Gers

22

Allocu
INCLUTO
SORUM
SACR

CONRADI S.
SCHURTZFI

WITTENBE

Imprimebat CHRISTIANUS SCI

ANNO M DC L



04

